



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Ivliana V. M. 16. Febr.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

gravis in Christianos tempestas Antiochia exorta turbine suo etiam Sapritium involvit. Nihil tamen in tormentis, aut dixit, aut fecit Christiano indignum. Iamque ad palmam vocabatur, cum semel iterumque NICEPHORVS ad genua euntis accidit, lacrimansque veniam rogat. daret hanc moriturus pro Christo, si non sibi, certe ipsi Christo mortuo inter preces pro hostibus fusas. Audiebat hæc Sapritius, neque tamen vel verbis, vel oculo dignatus NICEPHORVM est. Ergo non placuit cælo palmam illi dare, qui se ipsum nollet triumphare. Cervicem præbere iussus, mortem turpi vitam redimit, & Christi Sacerdos facere, eheu! Iovi promittit, necquicquam per omnes Superos obtestante NICEPHORO, non referret, quem cælo jam posuisset pedem, non dimitteret, quam jam jamprehendisset palmam. Ne tamen gratis licet gladium strinxisset, accurrit ipse NICEPHORVS, & succedaneam victimam se obtulit, quid multis? in aliena præmia involavit. *Ex Metaphr.*

S. IVLIANA V. M. 16. Febr.

Pulcherrimam formam IVLIANA pulcherrime est usa. In hac enim velut speculo opificem hujus DEVM coepit intueri. Christo igitur addictam parentes Eleusio desponderunt, viro nobili
&

& urbi Nicomediae Praefecto. Sed quia
 superstitioni hic deditus erat, negavit
 IVLIANA sibi foedera nuptialia cum
 illo fore, qui animum hostilem in tho-
 rum ferret. Ab hoc proposito ut dimo-
 veret parens, arietes admovit, minas;
 repulit virtus. Egit cuniculos, blandi-
 tias; elusit. Inclusit carceri; thoro illa
 hunc prae tulit. Tandem Eleusius, ille
 nuper sponsus, fit sponsae iudex. Mox in
 carnificem abit. Cedit verberibus, quod
 nuper laudabat corpus. Suspendit, qui-
 bus nuper captum se fatebatur, capillis,
 Vrit ferro ardores suos, artus castissi-
 mos. Et has demum illa blanditias in
 sponso laudavit. Interea boni Angeli
 vultum indutus malus, satis ait virtuti
 datum esse. Dissimularet posthac pieta-
 tem. Superis cordi cor fore, quod per-
 vium utique illis esset. At IVLIANA,
 fraude inter preces cognita, vincula sua
 exiit, & consiliario pessimo induit.
 Vincto verbera etiam addit. Tunc sub
 virginis manu gemuit orcus, & malum
 Angelum bonus risit. Porro martyr
 flammis ad quas damnata erat, lacti-
 mis extinxit, leberem ab igne ferven-
 tem precibus rupit, denique prius quam
 manum iudici proco daret, caput dedit.
 Mox tamen etiam poenas hic. Undis
 enim haustus, & in litus eiectus in ci-
 bum canibus cessit, dignum nactus ty-
 ranno sepulchrum. *Ex Metaphr.*

S, SA-